[illegible] ... ut hic sic laudat [illegible]

Nr. 11, fol. 1

fr. 11

cicendum est. hic vero sine racione tantam operum suorum diversitatem observasse. Sicut enim diversas etates et diversos humane vite consideravit. ita et quandam operi suo varietatem adhibuit. Primo enim lirica composuit. in quibus adolescentibus loquens. amores et iurgia. comesaciones. potaciones materiam habuit. deinde epodon composuit. in quo homines facinorosos et reprobe vite invectiva composuit. Postea carmen seculare scripsit. in quo providentiores ad predicandos deos edocuit. Deinde librum de arte poetica composuit. in quo homines sue professionis ad bonum scribendum instruxit. Postea librum sermonum addidit. in quo diversis et generalibus viciis irretitos reprehendit. Ad ultimum opus suum in epistolis terminavit. in quo more boni agricole viciis extirpatis virtutes superseminavit. Iste igitur in opere sermonum materiam habuit communem. scilicet omnium satiricorum. scilicet vicium. Intencio sua est dissuadere et dehortari avicios. et hec est principalis intencio quam per totum librum discurrit. Secundaria secundum singulas distinctiones. quas eglogas vocant. et eas in suis locis dicemus. Utilitas est sordium abiectio. viciorum deposicio. Titulus vero talis est. horacii sermonum primus liber incipit. primus. quia sequitur alius. Sunt enim duo. Et sciendum est quod hoc totum opus. opus sermonum inscribitur. Distinctiones sunt vel sermones vel satire. vel melius eglogae nuncupantur. Videndum est autem quid sit sermo. quid egloga. nam quid sit satira satis alibi dicitur. Sermo est oracio remissa cotidiane locucioni finitima. Remissa. id est non alta. non ordinata. nuda qualis est satira. Cum autem sermo a serendo dicatur merito hoc opus sermonum inscribitur: quia inter colloquentes assidue seritur. Egloga vero caprinus sermo dicitur. Ege enim capra. sermo logos. Et notandum est distinctiones bucolici carminis similiter appellari. Sed ibi ob aliam causam. hic ob aliam. Ibi enim egloga caprinus sermo dicitur. eo quod inter cetera animalia de capris agatur. Hic vero propter fetidos sermones quibus utitur satira. Sicut enim in odis imitatur alceum et saphonem. in epodon archilocum. ita in hoc opere lucilium. Sed quia quod iocosius reprehendit quam ceteri satirici. non ingerunt ledit. quasdam ludicras immo quasdam iocosos sermones interserit. hanc primam eglogam dirigit ad M. reprehendens nimiam hominum inquietudinem professione inconstantiam et quibusdam

professionibus bene tangit. Nec ero ad avariciam transeat de qua largius et plenius disserit. considerans itaque tantam hominum inconstanciam more aliorum satiricorum exclamat dicens. Qui fit et cetera. quod ipse satiricus sit per primum libri principium satis patet et ostendit. Nam et alii quidem delectacione incipiunt sicut ceteri. Virgilius. arma virumque cano et cetera. Ex abrupto vero proclamat sicut alii satirici. ut Iuvenalis. Semper ego auditor tantum et cetera. Qui fit et cetera.

f. Glose poetrie

Materia huius auctoris in hoc opere est ars poetica. Intencio eius est dare precepta de eadem. huius intencionis causa est duplex. Una communis. altera specialis. Communis est ut doceat quid liber poetas in arte poetica observare. Specialis quod doceat pisones. quorum rogatu hoc opus incepit. Sicut quidem pisones nobilissimi iuvenes erant. pisonis filii. qui dentes poetarum scripta reprehendi timentes de carminibus suis congauderent optimum preceptorem artis poetice ut eos arte poetica instrueret rogaverunt. Quorum peticioni adquiescens ipse dare precepta in arte poetica. Sed quia alter eorum erat comicus. alter vero satiricus. ideo dat quedam specialia precepta in comedia quedam in satira. Sed ante omnibus igitur ne consulat dat quedam generalia de libro poetis pertinentia. Sunt quod duobus modis dantur precepta primo ostendendo quid sit vitandum postea quid tenendum vel exequendum ut liberius regulas et precepta artis poetice subiungit. Id enim incipit dicens. Sinsera. u. q. i. a. Sed tamen quod doceat in carmine vitanda. non quod non sit alia vitanda sed precipue ista quorum primum est incongrua parcium posicio. partes autem libri sunt. principium. medium et finis. quorum congrue ponitur cum primo. in q. d. i. Secunda vicium est incongrua digressio. quod fit quando aliquis [illegible] diversas per similitudinem a proposito inducta. ut an. humana [illegible] connectit dimisso cursu sue oracionis ad aliud quod ad rem non pertinet digreditur. ut quando mencionem depingat hoc. ut dicit purpureus late qui s. p. u. e. d. a. u. et a. i. p. et c. Est autem congrua oracionis digressio. quando aliquis dimisso cursu sue cause ad utilitatem et ad commodum sue materie aliquid interserit. Quod fecit tullius in verrinis. quia cum cepisset verrem incusare de adulterio quod fecit in sicilia dimisso cursu sue oracionis incepit describere terre illius amenitatem dicens in ea esse fontes amenos. arbores pulcherrimas. prata virencia. et hoc totum ad commodum sue cause. quia non est similis erat

4

Stadtbibliothek * BERN *